



Forum Beneficiale, Sive Quæstiones & Responsa Canonica

Materiam De Beneficiis Universam Ex Beneficialistarum tam antiquorum, quàm recentiorum placitis complectentia. Opus methodo novâ, & clarâ in tres digestum Partes ... accuratè, ac copiosè instructae

De Beneficiorum Ecclesiasticorum Natvra, Ereptione, Qvalitatibvs Ad Ea Obtinenda Requisitis ...

Leuren, Peter

Coloniæ Agrippinæ, 1704

313. Quis dispensare possit, dum actu à fundatore requiritur sacerdotium.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74477](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74477)

non tamen sustineri potest provisio respectu prabendæ, si ei annexus non est Ordo, sed Canonici tantum, eò quòd, ut dictum, esse quis possit Canonicus sine prabenda, non tamen prabendatus sine Canonatu, cum licet prabenda non sit annexa annexione perpetua, perpetuò tamen sit ad Canonatum accessoria. Lott. n. 46.

7. Respondeo denique: dum annectitur certus Ordo actu aut habitu presbyteratus, aut diaconatus, aut subdiaconatus dignitatibus & prabendis omnibus alicujus Collegii, absque eo quòd determinetur, quædam prabendæ debeant esse presbyterales, quæ diaconales, quæ subdiaconales (uti respicit Trident. sess. 24. n. 12. constituit, ut in omnibus Cathedralibus omnes Canonicatus & prabendæ habeant annexum Ordinem presbyterii, vel diaconatus vel subdiaconatus, Episcopis relicto, ut cum consensu Capituli determinent, quibus quisque Ordo imposterus annexus esse debeat) Episcopus autem cunctetur in tali distributione faciendâ, licet dici & determinari nequeat, quod uni magis quàm alteri prabendæ, hic potius quàm alius Ordo sit annexus; dicendum tamen unicuique in genere esse annexum sacrum Ordinem, adeòque qui provisos fuerit de aliqua ex his prabendis, debeat esse ad minimum subdiaconus actu, aut saltem habere atatem requisitam ad subdiaconatum, quamvis enim videri possit annexio presbyteratus vel diaconatus aliquo modo remota à singulis prabendis, annexio tamen subdiaconatus videtur omnino proxima singulis, etiam respectu istius distributionis, faciendæ per Episcopum, cum esse non possit, quin ei prabendæ ad minimum annectatur subdiaconatus. Lott. n. 83. citans Hojed. de benef. compar. p. 1. c. 24. n. 16. Azor p. 2. l. 6. c. 5. q. 5. Less. de iustit. c. 34. n. 109. Garc. p. 7. c. 4. n. 28. ubi refert, sic pluries declarasse S. Congregationem.

Questio 313. Quis dispensare possit, dum actu à fundatore requiritur sacerdotium?

Respondeo: in hoc casu, nequidem de consensu Patroni, & nequidem pro una vice dispensare potest Episcopus argumento Trident. sess. 25. c. 1. de reformat. Corrad. loc. cit. n. 145. Garc. p. 7. c. 1. referens plures hac de re declarationes S. Congregat. & decisiones Rotæ. Sed neque dum ipse Papa providet de tali beneficio, derogatur tali fundatoris voluntati, vi clausulæ: *non obstantibus*: adjici solitæ; sicut per eam derogatur tali qualitati requisitæ ex speciali statuto alicujus Ecclesiæ. Corrad. loc. cit. n. 96. contra Gonz. loc. cit. n. 106. ubi etiam ait in praxi Romanæ Curie, datariæ, & Cancellariæ non derogari tali fundationi per prædictam clausulam, nisi fundationis talis fiat expressa mentio, etiam dum conceditur gratia ex motu proprio. Et etiam si fundator expressè non addiderit in fundatione, non sufficere promovendum esse in ætate sufficiente ad suscipiendum sacerdotium. Sunt tamen hæc intelligenda de fundatore laico; nam per dictam clausulam: *non obstantibus*, vel motu proprio: derogari à Papa constitutioni tali factæ à fundatore Clerico negari nequit. Corrad. num. 103. citans Vivian. in praxi juris patron. l. 14. c. 3. n. 16. & 127. Quòd si verò dixisset fundator: *volo, ut obtinens Capellaniam dicat septimanarum tot missas* (vel etiam juxta Felin. in c. cum omnes, de constitut. n. 2. volo, ut Ecclesia conferatur uni, qui quotidie in ea celebret) non rectè argue-

retur inde, requisivisse illum in promovendo ad talem Capellaniam, vel Ecclesiam actu sacerdotium; potest enim isti oneri satisfieri tunc adhuc per alium; cum verbum illud *celebret* non respiciat actum celebrationis faciendæ præcisè per ipsum Capellanum; sed tantum denotet onus impostum isti Capella, ut obtinens illam, faciat in ea celebrari per se vel per alium; & factis censeatur provisum voluntati fundatoris, si promotus per alium divina celebrari faciat, nisi expressè caverit, ut per se ipsum id agat. Gonz. loc. cit. Gl. 5. n. 76. Lopus. alleg. 35. n. 2. Corrad. loc. cit. num. 112. & seq. Secus iterum esset, & requiritur actu sacerdotium si dixisset fundator laicus (contrarium tamen est si idè dixisset fundator Ecclesiasticus, & esset personatus, sufficeret enim tunc sacerdotium habitu) promoveatur ad Capellaniam sacerdos, qui celebret; vel eligatur persona idonea ad celebrandum. Corrad. ibid. n. 117. & seq. citans plures decisiones Rotæ. Vide de hoc fusè agentem. Garc. p. 7. c. 1.

Questio 314. An & quis Ordo sacerdotii habitus requiratur, & sufficiat, ut quis eligi vel promoveri possit in Episcopum?

Respondeo: subdiaconatus, sumitur ex c. à multis, de atate & qualir. presic. cum enim quod jam antiquitus ex decreto Urbani I. ad hoc requirebatur & sufficiebat, ut haberetur c. ultra. 60. nimirum constitutum esse in Ordinibus sacris (adeòque tunc, cum subdiaconatus erat necdum Ordo sacer, eligi non poterat in Episcopum, nisi ad minimum diaconus) modò, postquam jam subdiaconatus per annexum ei votum castitatis annumeratus est Ordinibus sacris, invariatum maneat, hic Ordo sufficit. Castrop. p. 2. rr. 13. d. 4. n. 2. Ugol. de potest. Ep. c. 1. §. 2. n. 1. Pass. c. 25. n. 352. Pirh. ad tit. de atate. & qual. presic. n. 36. contra Barb. ad cit. sess. 22. c. 2. n. 2. & de off. Ep. alleg. 1. n. 37. Lavor. & Campanil. apud Pass. putantes requiri sacerdotium, eò quòd Greg. XIV. in Constit. sua, onus Apostolica. dicat in plurali. sacris Ordinibus. Quòd ipsum enim constitutum esse in Ordinibus accipiendum non esse collectivè, ita ut omnibus Ordinibus initiatus esse debeat, patet ex eo, quòd pari modo Urban. I. loquatur in plurali. Requiritur præterea à Trident. sess. 22. c. 2. ut eligendus in Episcopum, priusquam eligatur jam sex mensibus fuerit in Ordine sacro. Porro electionem non subdiaconi in Episcopum, Pass. n. 353. censet esse jure irritandam, non ipso jure irritam; eò quòd neque cit. c. à multis, neque decretum Trid. habeat adjunctum decretum irritans.

Questio 315. An & quo tempore suscipiendi sacerdotii obligatio annectatur Episcopati?

Respondeo: cum electus Episcopus teneatur consecrationem recipere intra tres menses. c. quoniam. d. 70. sub pena privationis fructuum perceptorum, quin & sub pena privationis Episcopatus ipso facto incurrenda, si per alios tres menses eam neglexerit. Trid. sess. 23. c. 2. non possit autem Episcopus consecrari, quin antecedentè sit sacerdos. Gl. in c. unic. de Clericis per saltum promov. Suar. de cens. p. 31. f. 1. n. 53. Azor p. 2. l. 2. c. 30. q. 9. & c. contra quosdam cit. à Barb. ad cit. l. Trident. tenebitur electus fieri sacerdos intra tres menses. Pass. n. 354. ducendo hujus trimestris initium à die confirmationis. Gl. in c. cum in cunctis, de elect. V. tempore